

explicavit S. Benedictus per fortissimum, et genus anachoretarum explicavit alio nomine. Iterum dic mihi, quis discipulus melior est e duobus inter illum, qui plus diligit Jesum, et illum, qui minus? Ille, qui plus, sicuti est Petrus; nam Petrus plus dilexit Jesum quam Johannes. Et ubi cognoscitur Petrus plus dilexisse Jesum quam alii apostoli? Manifestat Scriptura divina, ubi Dominus ait: *Simon Johannis! diligis me plus his?* Vide modo, quia, nisi Dominum plus aliis discipulis dilexisset, nequaquam illum Dominus ita interrogasset. Ille autem, quia se cognovit hominem esse, nescivit aliorum intentiones, ideo dixit: *Domine, tu scis, quia amo te*, ac si diceret: Tu, quia Deus es, cognoscis, quis te plus diligit. Et iterum dic mihi, quis melior discipulus ex istis duobus, id est Petro et Johanne, inter illum, quem plus dilexit Jesus, et illum, quem minus? Dicis mihi: ille, quem plus dilexit Dominus. Ecce Johannes videtur melior esse quam Petrus. Ita et de istis duobus generibus monachorum, id est coenobitarum et anachoretarum potest conijcere, quia Petrus tenet figuram vitae activae, Johannes vitae contemplativae. Ergo sicut isti discipuli non videntur invicem sibi praecellere, ita et de istis generibus potest conijcere, unum alterum non posse praecellere. Sciendum autem est, quia sarabaitae in *ba* dixit¹⁾ esse accentum, hoc est, ut sarabáytae²⁾ dicantur.

Cap. II

QUALIS DEBEAT ESSE ABBAS.

Egregium enim ordinem tenuit B. Benedictus in hoc loco, eo quod prius dixit de generibus vel vita monachorum et postmodum subjunxit de sententia³⁾ abbatis, qualis ille debet esse. Veluti quis, cum aliquod aedificium construere vult, fundamentum ponit, ita et B. Benedictus facere compro-

¹⁾ Forsitan aota scriptoris ad Hildemari sermonem.

²⁾ non Sarabáytae.

³⁾ essentia. Cod. Emmeram.